

www.e-rara.ch

**Silva locorum, qui frequenter in concionibus occurrere solent, omnibus
divini verbi concionatoribus, cum primis utilis & necessaria**

Luis

Venundatur Parisiis, 1586

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRa 166

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-26764>

Abnegatio sui.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Abnegatio. sui.

Magna est securitas cordis, nihil concupiscentiæ habere secularis. Nam si ad terrena concupiscenda cor inhiat, securum tranquillūque esse nullatenus potest, quia aut nō habita concupiscit, vt habeat, aut habita metuit, ne amitrat. *Greg. in Mor.*

Nisi quisque à semetipso deficiat, ad eū qui supra ipsum est, non apropinquat: nec valet apprehendere quod supra ipsum est, qui nescit maculare quod est. *Greg. in Hom.*

Omnis qui vno pede claudicat, soli illi pedi innititur, quē sanū habet: quia & terrenū desiderium iā arefactū fuerit, in solo pede amoris Dei: tota virtute se sustinet, & in ipso stat: quia pedem amoris sæculi, quem ponere in terra consueuerat, iam à terra suspensum portat. *Greg. sup. Ezech.*

Qui vult venire post me, abneget semetipsum &c. Ad se venientibus Dominus præcipit, vt tenūtiemus nostris: quia qui ad fidei agonē venimus, luctamē cōtra malignos spiritus sumimus. Nihil autē maligni spiritus in hoc mūdo possidēt p̄prium: nudi ergo cū nudo luctari debem⁹. Nā si vestitus quisq; cū nudo luctatur, cin⁹ ad terrā deijcitur, quia habet vnde teneatur. Quid enim sūt terrena oīa nisi corporis idumēta? Qui ergo cōtra Diabolū ad certū p̄perat, vestimēta abijciat, ne succūbat. *Greg. i hom. 32.*

Si carum qđ licet, abscindimus, mox in spiritu quod delectat, inuenimus. Inuēctioni quippe animi si exterior euagatio claudis interior accessus aperitur: nā quo extra se spargi propter disciplinā mens non potest, eō super se intendere per prouectū potest: quia & in altū crescere arbor cogitur, quæ p̄ ramos diffundi prohibetur: & cum riuos fontis obstruimus, fluentia surgere ad superiora reuocamus. *Greg. lib. 3. o. Mor.*

Quos à cogitatiōib. terrenis euacuat, donis cœlestib. replet: & quos infirmis curis exhaurit, supernis rigat fluētis. *Gr. li. 18. Mo. c. 22.*

Greg. super illud Iob. 28. Abscōdita est ab oculis omnium viuētū, sic ait: Quia qui Deū videt, vitæ funditus moritur, ne eius amore teneatur: qui enim Deum vidit, stāri moritur. Quare Paulus qui Deum vidit, se crucifixū clamat. *lib. Mor. 28. cap. 37.*

Paulo dum oculi interni aperiuntur, clauduntur externi in cōuersione. *Greg. 20. Mor. cap. 4.*

Quan-

Quanto quisque incipit viuere superius, tanto incipit inferius interire. Vnde Paulus. Viuo iam non ego. Greg. 24. Mor. cap. 26,

August.

Amputanda sunt omnia nobis quæcūque igniti fomitis sulphurantibus flammis scatens fornax ebullientis carnis exæstuat, ne vel tenuis quædam scintilla seruata, maiora consuet incendia. Aug. de singul. cler.

Ambros.

Vince naturam diligentia, exclude corporis somnum. Naturā nobis formare non possumus, possumus diligentiam. Ambr. lib. de Ioseph.

Bernar.

Quid odit, aut in quid punit Deus præter propriam volūtate? Cesset voluntas propria & infernus iam non erit: in quem enim ignis ille defæuiet, nisi in voluntatē propriam? Bern. in serm.

Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia puras emortua, & non magis suppressa. Velis, nolis, intra fines tuos habitat Iebusæus, subiugari potest, nō exterminari. Idē sup. Canti.

Non est via ad regnum sine præmijs regni, nec sperare potest cœleste regnum cui neque super propria regnare membra adhuc donatur, Idem,

Euse.

Emif.

Sublimabunt nos si fuerint infra nos (affectus videlicet nostri) de nostris etiā vitijis scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus, Euse. Emif. de Ascen. Domini hom. 1.

Si quando terræ operarius & ruris cultor agrum suum seminibus præparat, non sibi sufficere putat rudē campū vomere proscidisse, & assiduo aratro duras edomuisse glebas, ac sulcis frequentibus confecisse, sed insuper studet agrum illum infœcundis germinibus emundare, noxijs euacuare ruderibus spinarū, stirpiū fomites excussa radice conuellere, sciens terram sine purificatione mali germinis, boni feracem esse nō posse ad se dictū putans illud quod ad spiritālē agricolā pertinet, Nouate vobis noualia & nolite serere super spinas: ita & nos qui Dei agricultura effecti sumus, qui spem fructuū nostrorū non terræ credimus, sed in cœlo repositā habemus nō nobis sufficere putemus terrā corporis nostri vigiliarum exercitijs edomare, vel ieiuniorum labore cōficere: sed in primis mētē extirpatione vitiorū mundare conemur, circūcidere mores, excidere passionēs, eradicare superbiam, plantare humilitatē, effodere iram, fundare patientiā, am-

putare

putare inuidiam, inferere benevolentiam, & huiusmodi virtutibus agrum cordis, quasi quibusdam bonæ frugis fecundare seminibus. Idem ad monach. hom. 8.

Hoc est profecto difficilimum regnandi genus, exercere iunem in suis sensibus principatum. Rarum omnino bonum est. *Cassio.* Dominum triumphare de moribus, & hoc consequi in florida ætate, ad quod vix creditur cana modestia peruenire. *Cassiod.*

Christus verbum paternum solus est humanarum ægritudinum medicus, & sanctus ægrotae animæ incantator, quia videlicet sopit omnes passiones nostras. *Clem. Alex. Pædag. lib. 1. c. 2.*

Esto sicut rex in corde tuo sublimis, in humilitate residens, & risui iubens vade, & vadat: & dulci fieri veni, & veniat: seruoque atque tyranno corpori, fac hoc, & faciat Io. *Clim. de luct. c. 7.*

Qui corpus vicit, is etiam naturam superauit: qui vero naturam superauit, is profecto supra naturam effectus est: porro is cui id contingit modicum quid minus quam Angeli habet, ut non dicam nihil. Idem *Grad. 15.*

Quemadmodum feras ipsas arte atque industria mitigamus & cicurimus, ita etiam passiones nostras quæ sunt feris omnibus truculentiores mitigamus. Si enim leonem arte reddimus mansuetum atque tractabilem, cur quæso iram & furorem quousque etiam leone sauiorem sopire negligimus? Quam enim reperies excusationem, quem honestum colorem, cum hominem quodammodo facias de leone, tu tamen negligens leo efficiaris ex homine? Nam illi quidem penas aliquid habere supra naturam, tu vero nec naturales tibi affectus conseruas. Quæ vecordia est, cum naturalis ferarum crudelitatem in præternaturalem mansuetudinem conuertras, tuam vero mansuetudinem in contrarium naturæ tuæ furorē atque crudelitatem deducas? Extinguamus igitur hæc vitia. Neque enim possibile est nos vere viuere nisi hæc in nobis prius vitia moriantur: hæc nos necessario perimunt in futuro, si nos hic illa viuere patiamur. Quinimo & ante illam mortem hic exigunt à nobis horrenda supplicia suis nos crudelitatibus exagitant. Itaque & dentes leonum, dentes earum, imo etiam sauiiores. Nam leo quidem simulac fuerit saturatus, semelsum cadaver continuo relinquit: hæc vitia nunquam faciantur, nec ab anima nostra vnquam discedunt, captrumque hominem Diabolo continuo tra-

Terunt.

dunt Quorum certè tanta vis est, vt seruitutē quā Christo Paulus impendebat, sibi potius à suis captiuis exigant. Qui enim his cupiditatibus capri sunt, regnum & gehennā contemnunt, dum modo vitijs suis obsequantur. Nequaquā igitur Paulo de semirabilia prædicanti fidem adhibere dubitemus, qui tanto amore flagrauit, quando diuites inueniuntur ita pecuniarum amore flagrantes, qui eadem ipsa faciunt, quæ propter Christum Paulus Chrysost. super Matth. hom. 4. oper. perf.

Naturam atque ingenium carnis nostræ quam abnegare, cuique bellum inferre iubemur, miris coloribus depingit Ioan. Climacus, his verbis.

Quoniam autem more & modo meum hunc amicū (corpus videlicet) vincies diiudicē: nescio: prius. n. quā illum vincia soluitur, & antequam diiudicē. cū illo in gratiā redeo: & antequā puniam flector. Quomodo illū vincā, quē vt amem, à natura suscepi? quomodo ab eo liberabor, cui in sæculū colligatus sum? quomodo mecū etiam surgentē destruā? quomodo incorruptibile ostendā qui naturā accepi corruptibile? quid illi rationabile persuadens dicā, qui per naturam mille rationib. ac persuasionib. nititur? Si n. ipsum ieiunio vincia, rursus proximū iudicās trador: si & iudicare desistens hūc superē, clarus corde in eundē præcipitor: estq; cooperator & hostis, adiutor atque aduersarius, auxiliator simul & insidiator. Si foneatur, oppugnat: si affigitur debilior fit: laesciuit per quietē rursusque verbera & flagella nō sustinet. Si illū contristē, periclitor: si feriā, per quē virtutes acquirā non habeo. Quid sit circa me sacramētū, q̄ nā sit meæ cōcretionis ratio: quō mihi & amicus sim & inimicus, quis videat? quis intelligat? Dic tu mihi o cōiux mea, o natra mea (neque enim ab alio quā abs te discere orabo) quomodo ex te inuulneratus maneat? quomodo possum naturale periculū effugere? qñ iam bellū aduersum te gerere Christo pollicitus sum? quō tuam tyrannidem superē, ex quo vim tibi inferre delegi? Illa vero aduersus seipsam (vt ita dixerim) respōdēs ita dicere videbitur. Nō tibi id loquar quod ipse nō nosti: sed quod simul ambo cognouimus. Et mox. Si meā tuāque profundā infirmitatē penitus noueris, meas vinxisti manus Si gulæ cōcupiscētiā fregeris, meos obligasti pedes, ne gradiri in anteriora possint: si obediētiz collū submittas, à me

difin-

disiunctus es : si possideas humilitatem, amputasti caput meum
Ioan. Clim. Gra. 15.

Optimæ sunt opes inopia cupiditatum.

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit.

Menia: nec virtus altius ire potest. Ovidius.

Sine sæuo animo non repurgantur vitia. Philon.

Elemens

Ouid.

Philon.

COLLE.

Psal. 150

¶ Laudare Dominū Propheta in tympano & psalterio præcipit. Membrana ex qua tympanū conficitur, ab omni prius humore exsiccati, & psalterij cordæ, nō modo exsiccati, sed etiā retorqueri debent, quò sonū edant. Sic ergo cū corda & corpora nostra ab omni humore noxio & carnis affectu b. (quatenus liceat) exsiccata sunt, tunc demum tympanum Domini & psalteriū suauissimum efficiuntur: tunc etiam puritatē illius sacri veli imitatur, quod ex bysso retorta texebatur. Cum desinunt Sarra fieri muliebria, tunc nascitur Isaac: ita cum carnis nostrę affectus deficere incipiunt, gaudium spirituale in nobis generatur.

Exod. 35

Gen. 18

Duplicia nobis Deus cōtulit beneficia, & duplicia à nobis itē exigit obsequia. Quædam enim sine suo labore nobis contulit, quædam cum summo cruciatu atque labore. Ideoque vt illi suo modo par pari referamus, duplicia illi obsequia debemus. Alia quidē suauia, qualia sunt quædā deuotiōis & pietatis opera: alia vero aspera & difficilia qualia sunt patiētia & abnegationis studia.

Nisi naturales insititiæ arboris rami frequenter euellantur, insititij non coalescunt: illis quippe natura mater est, istis velut nouerca. Quare summa cura carnalium affectuū mortificationi incumbere debet, quisquis spiritualium affectuum surculos in animam suam germinare velit.

Melior est patiens viro forti, & q̄ dominatur animo suo expugnatore virbū. Vere n. plus quā imperiū vincit qui se ipsum vincit. Bis autē vincere dicitur qui se ipsum vincit in victoria. Causa autē huius victoriæ. Dei amor est. Sic em̄ de B. Paula. D. Hiero. scribit, quod amorem filiorum quos in Bethleem profectura, deserebat, maiore in Deū amore superabat. Vere enim amor sui (qui adeo, vehemens & naturalis est solo Dei amore superari potest: hic em̄ solus illo maior est, cæteri em̄ sub eo sunt, frustra ergo hunc amorē sine Dei amore superare homo conatur.

Prov. 16

Post concupiscentias tuas ne eas, & à volūtate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudiū inimicis tuis. Eccl. 18. Cæterum aduersus cupiditatem, & perturbatos animæ affectus orat Eccl. his verbis. Extollentiam oculorū
Eccl. 23. meorum ne dederis mihi, & omne desiderium auerte à me. Aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscētiæ ne apprehendant me: & animo irreuerenti & infrunito (hoc est effrenato & impudenti) ne tradas me. Recte dicitur. Ne tradas: videlicet tanquam tortori ac tyranno, qui me pro libidine sua, tanquā mancipio sibi tradito abutatur: quemadmodū illi de quib. Apostolus ait: tradidit eos Deus in passiōes ignominia &c. Ad Ro. 1.

Eccl. 25. Beatus qui habitat cum muliere sensata, & qui in lingua sua non est lapsus, & qui non seruiuit indignis se. Indignis autem seruiuit, quisquis cupiditatum suarum seruus est. Hæ namque rationali creaturæ indignæ sunt, cum sint brutorum propria.

Mortificationis est, vno ictu malorum omnium radicē ac seminarium abscindere. Radix enim omnium malorū est, affectibus & cupiditatibus, carnis nostræ obtemperare, & iuxta illarum impulsū vitam ducere, quod proprie brutorum est. Hoc autem modo illi viuunt, de quib. dicitur. Transierunt in affectum cordis. Et illi etiam qui apud Hieremiā incircuncisi corde esse perhibentur: quique apud eundem post prauitatem cordis sui abire dicuntur. Hier. 7. Horum est illa vox, omnia quæ desiderauerunt

Eccl. 2. oculi mei non negaui eis: nec prohibui cor meū, quin omni voluptate frueretur. Huc pertinet illa Salomōis ironia. Latere iuuenis in adolescentia tua, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorū tuorū &c. Ab huiusmodi autē homine se liberari Propheeta postulat, cū pro eo quod nos legimus. Noli emulari in eo qui

Psal. 36. prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias. Hieron. ex Heb. vertit. Aduersus virū qui facit quæ cogitat. Nō potuit breuius absoluta hōis prauitas, & nequitia explicari. Nullū em facinus recusat, quisquis facit, quæ cūque cogitat, quæque illi suggerit libido. A quo malo longissime se abesse Iob indicat, cū ait: Si sequutus est oculus meus cor meum &c. Merito ergo laudāda

Eccl. 18 est mortificatio, siue sui abnegatio, cuius est huic malo resistere, & illud implere quod dicitur. Post concupiscentias tuas ne eas &c. quæ sequuntur. Item illud. Qui autem Christi sunt, carnem suam

suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Si enim inquit Apostolus secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritum, facta carnis, m. v.

Rom. 8.
Psal. 44

Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum &c. In his verbis sponsus monet sponsam, si velit amore sui sponsam incendere, necesse esse, ut ipsa vicissim omnem amorem suum in illum transferat: atque omnia obliuiscatur, quæ antea charissima habebat. Hæc est illa præstantissima animi affectio, hominis Christiani maxime propria, quanti nostri abnegationem sui, & mortificationem carnis usurpare, ac appellare solent. De ea sponsus ipse & ipsius discipuli, præclarissima & vere diuina præcepta nobis reliquerunt.

Quisquis cupiditatē suarū (qui capitales animæ nostræ sunt hostes) mortificationi studet, magno sæpe cordis desiderio ad Dominum clamare debet. Quot sunt dies serui tui: quando facies de persequentibus me iudicium? Et illud, usque quo Domine obliuisceris me in finem? &c. Usque quo exaltabitur inimicus meus super me? respice &c. m. D. D. m. Et illud item, Miserere mei Deus quoniam conculcauit me homo, tota die bellatis. t. m. Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi belantes aduersum me. Multi inquit: quia videlicet hostis noscer acerrimus, est vetus homo: eius vero satellites multi sunt: nempe varix perturbationes & cupiditates animæ nostræ. Vbi vero de his hostib. victoriam nactus fuerit, meminerit se gratias Deo agere debere, & cū Propheta dicere. Latabor & exultabo in te: psallam nomini tuo altissime. Cum ceciderint inimici mei retrorsum, & corruerint, & perierint à facie tua. Psalmus item ille cuius est initium. Diligam te Domine fortitudo mea, carmen triumphale est, pro concessa à Deo de victis hostibus victoria: quam ibi copiose describit. Vnde sunt illa. In te enim etipiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar muram. Et, Deus qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam &c. Qui docet manus meas ad prælium &c. quæ sequuntur. Cui similis est Psalm.

Psal. 17.

Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum, &c.

Psa. 143.

Nazarei consecratio tribus potissimum in rebus constituta.

Tt 3 erat,

erat, primo ut à vino & omni re quæ inebriare posset, abstinere. Secundo ut ne super matre quidē & patre suo mortuis cōtaminarentur. Tertiò ut cæsariem nutritent, & nouacula nō ascēderet super caput eorum. Primis quidem legib. mortificatio & affectuum sedatio videtur designari. Inter omnes autem affectus valde acres & vehementes sunt, erga parentes amor, & in corū moribus luctus. Hoc autem maximo affectu interdicto, ceteri quoque interdicti esse censētur, vbi modum exierunt. Idem etiā intelligi per vini prohibitionem videtur: immoderati enim affectus sicut & vinum mentem auferunt, & inebriant. Sed per vinum voluptuarij, per luctum vero turbulenti affectus designantur: à quib. omnibus immunis esse debet velut alterius natura alteriusque ordinis homo, qui ab humanis quodāmodo exemptus, & Deo consecratus, in diuinæ naturæ consortiū transijt. Per cæsariem autem siue capillos, qui à suprema & summa corporis parte procedunt (Diuus Hierony. super illo. Decalauit Dominus verticem filiarum Sion) sanctas cogitationes quæ à suprema interni hominis nostri parte, videlicet mente, oriuntur, intelligi ait. Quo admonemur præcipuum & continuum hominis Deo consecrati munus esse, diuinarum rerum contemplatione animum pascere. Duo igitur perfecti viri officia, nempe mortificationis & orationis, his Nazareorum legibus insinuantur: in quibus tota ferè spiritualis vitæ summa consistit.

Totam Christiani hominis vitam, si ad normam Euangelicæ perfectionis exigas, esse crucem, declarant illa Sponsæ verba, *Cant. 5.* Manus meæ distillauerunt myrrham primam, & digiti mei pleui sunt myrrha probatissima. His enim verbis designatur Euangelici viri vita in myrrha, hoc est, carnis mortificatione, & maceratione esse plenissimam. Manuum quippe nomine actiones nostras significari notissimum est. Porro autē qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Itaque cum in carne multæ sint sensuum fenestræ multaque membra quæ seruiunt iniquitati ad iniquitatem: in anima verò multæ cupiditates ac perturbationes quæ diuinæ legi aduersantur, omnib. his singulas cruces vir pius parare debet, ut carni hoc modo mortuus, spiritu ambulet, ac Deo viuat. Quare necesse est ut

manus

manus, digitosque myrrha plenos habeat, quo tam multa membra quæ super terram sunt mortificare possit. ¶ Ad hoc ipsam conferunt & illa Sponsæ verba, fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Vix alio nomine potuit *Cant. 1.* conuenientius & vitam & doctrinam Domini Saluatoris designari. Si quis enim eius vitam ab initio vsque ad finem & purissimum corpus eius, à capite ad calcem vsque collustrer, quid aliud quam myrrham, hoc est, amaritudinem, laborem, ac dolorem inueniet? Vt meritò in persona eius dictum sit, Pauper sum ego & in laboribus à iuuentute mea, exaltatus autem, humiliatus sum, & conturbatus. In me transierunt ira tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Nec mirum si tam multa pertulit qui omnia peccata mundi in corpore suo portauit. Iam verò si quis eius doctrinam diligentius contempletur, quid aliud in ea quam myrrham, hoc est, mortificationem, abnegationem sui, crucem, luctum, famem, sitim, humilitatem, patientiam, paupertatem, nuditatem, & rerum omnium contemptum inueniet? Vnde Sponsa mirabilem eius puritatem sigillatim describens, Labia, inquit, eius, lilia distillantia Myrrham primam. Quibus verbis puritatem eius & doctrinæ rationem insinuauit: quæ tota, in carnis & cupiditatum omnium mortificatione sita est. Det igitur operam fidelis anima, vt hunc fasciculum inter vbera sua reponat. Quæ quidem vbera, intellectus & affectus sunt, vt hos Sponsi dolores, pio & ardenti affectu contempletur. Sic enim fiet, vt amore eius incensa illum imitari, ac illi similis fieri contendat: vt cum Apostolo dicere possit, Christo confixus sum cruci. Et illud eiusdem, Ego stigmata Domini mei in corpore meo porto. Hoc etiam pertinet, quod in toto hoc Canticorum libro, quam sacratissime myrrhæ nomen sigillatim repetitur. Cum tamen aliarum virtutum, sub communi aromatum nomine vel pulueris pigmentarij, generatim mentio fiat. Vnde cum Sponsa Sponsum ad visendum hortum suum inuitasset, dicens. Veniat dilectus meus in hortum suum. & illè ubi quod exigebatur, impleuit, hæc verba subiecit, Veni in hortum meum soror mea Spôsa, messui myrrhā meā cū aromatibus meis. Veni autē, hoc loco, præteriti temporis est, non præsentis imperatiui, vt Græca & Hebrai-

p sal. 87.

Cant. 2.

Gala. 2.

Gala. 6.

ca lectio facile ostendit. Vides autem hic, myrrhæ sigillatim mentionem fieri, quia nimirum cœlestis ille sponsus maxime capitur quod in ea potissimum totius euangelicæ, hoc est, supernaturalis vitæ specimen maxime eluceat.

Mortificationis necessitas qua cupiditatum nostrorum immo-
Ioan. 15. derantiam rescamus (quæ cordis circuncisio in literis sanctis appellatur) illis Domini verbis insinuat, Omnem palmitem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Quod quidem non ad tribulationes modò (Quibus Deus piorum corda purgat) sed ad mortificationis quoque gratiam referendum est, quia ipsi prauas animæ affectiones rescare student. Hoc autem
Cant. 2. singulare diuinæ gratiæ opus esse declarant verba illa Cant. Tempus putationis aduenit. Cum enim ibidē sub verni tēporis metaphora, euangelicæ gratiæ tempus atq; virtutes describeret, hanc inter eas præcipue enumerat, quæ ad euangelicæ vitæ perfectionem maxime pertinet.

Cant. 4. Quam frequenter in lib. Cāt. myrrhæ & thuris mentio fit? certe Ecclesia ipsa, quod ad piorum cœtum attinet, mōs myrrhæ & collis thuris appellatur. Ibo, inquit, mihi ad mōtē myrrhæ, & collem thuris. Myrrha autē mortificationem, thure verò orationem significari notissimum est. Harum autem præcipue virtutū inter omnes alias mentio fit: quia cum spiritalis vitæ scopus sit secundū meliorem nostrī partem, nempe spiritum, Angelorum more viuere, & cœlestia semper meditari, hoc officiū oratio. i. mentis eleuatio exequitur. Cæterum quia cupiditates nostræ, & mollis carnis educatio atq; indulgentia nos in hoc spiritali studio magnopere remorantur, & ascensum impediunt, ideo mortificatio orationi comes adhibetur, q̄ omnia hæc impedimēta amoueat, & abscindat, carnem ipsā crucifigens cū vitijs & cōcupiscentijs. Sicut em̄ cōcupiscendi facultati natura, comitem irascendi vim dedit q̄ viam cōcupiscentiæ sternit, & impedimenta quæ cupidis obstant procul ablegat: ita orationis studio, velut soror & comes, mortificatio data est: quæ illi facilem & expeditam vitā in cælum parat. Qua qui carent, vbi primum orare & mente in cælum conscendere nituntur, in ipso nixu & conatu suo curarum agminib. impediti, ad ima quodammodo inuiti sæpe & relictæ res dei cecidit, quia sine scalis aut adminiculis sublimia petere voluerunt,

luerunt, Scala autem ad superna tendens, carnis mortificatio & contemptus terrenorum est.

Inter cæteras sponſæ laudes hæc etiã numeratur, quod labia *Cant. 4.* eius ſint tâquam vitra coccinea. Hic autem ſanguineus color, tum patientiæ virtutem, tum charitatis ardorem ſignificare videtur. Vt per hoc intelligamus, omnes ſiue piorum, ſiue prædicatorum ſermones in Chriſtiana charitate & laborũ perfeſſione verſari debere.

Nihil ita mortificationis ſtudium inuat, atq; deuota & ſedula meditatio doctrinæ & vitæ Dñi Saluatoris. Hoc autem ſponſa in *Cant. 7.* Cant. inſinuat cum ait, Mandragoræ in portis noſtris dederunt odorem ſuum. Mâdragoras quidem herbas eſſe, quæ fæcunditatem mulieribus tribuant, arbitrati ſunt: atque hoc nomine illas Rachelem tantopere expetiuiſſe, aiunt. Quorũ tamen ſententiã *Auguſt.* Auguſt. contra Fauſt. li. 22. ca. 56. reſellit: dicens, Mâdragoras potius quædã eſſe, quæ ipſe viderit, pulchra quidem, & ſuaue olentia: guſtui tamen parũ ſapida. His autem pomis doctrinam & vitã Dñi Saluatoris (cuius ſuauiſſimus odor Apoſtolorũ prædicatione per totum mundum diffuſus eſt) ſignificare aiunt. Quæ quidem dum prædicatur, pulchra & ſuauiſ eſt, acerbã tamẽ & inſipidã cũ comeditur, hoc eſt, cum ad opus trahitur. Plinius verò naturalis hiſtoriz. lib. 25. ca. 13. ait. mandragorã odorem valde ſoporiferum eſſe: ſuccum vero earum tâtam grauedinem inducere, vt neque punctiões neque ſectiões ſentiant, qui hunc ſuccũ largius biberunt: interdũ etiam moriãtur. Hoc autem ſpiritualiter in anima efficit pia & ſedula doctrinæ & vitæ Domini Saluatoris meditatio: q̃ vim quandã ſoporiferã habet: quæ in Domino dulciter obdormire & requieſcere facit: illo videlicet ſomno, quo ſponſa in Cant. dormiens excitari phibetur, quo nimirũ conſopita, cum Propheta dicat, In pace in id ipſum dormiam & requieſcã. Si vero largius quis ſuccum ebibat horum pomorum, hoc eſt, toto ſe affectu huic ſanctæ meditationi dedat, is iam neque puncturas, neque ſectiões ſentiet, hoc eſt, nullis huius mundi aduerſitatibus exagitatus perturbabitur, & à ſomno ſuo excitabitur, inſenſibilis penẽ aduerſus omnia mundi tela factus. In quo quidẽ ſtatu Apoſtolus ſe eſſe teſtatur, cum ait, Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. In quo etiam illi erant de quibus idem *Gala. 7.*

T t 5 ait,

Heb. 10. ait, Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis: cogitantes vos habere meliorem & permanentem substantiam. Et illi etiam de quibus ait, Notum autem vobis facimus fratres gratiam Dei quæ data est in Ecclesijs Macedoniæ: quoniam in multo experimento tribulationis, abundantia gaudij ipsorum fuit &c. Sic etiam Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij.

Alfo. 5. &c. Hinc etiam Laurétius dum in craticula affaretur, ad impiissimum tyrannum ait, Carbones tui mihi refrigerium præstant. Martyrum quoque vna hæc vox erat, Vre, secca, punge, stimula, assa, versa, & reuersa. Horum enim pomorum largus succus omnes carnis affectus & sensus sopiens, in Deum quodammodo hominem transmittit. De beato quoque Bernardo scriptum est quod initio cōuersionis suæ adeo totus in spiritu absortus erat, vt pene nullis vt homo sensibus vteretur. Qua de re mira in eius vita leguntur.

Gen. 18. Cum desiderant Saræ fieri muliebria, concepit Isaac: vt intelligamus spiritale gaudium & cordis iubilū (cuius typū gerit Isaac, qui risus interpretatur) tunc præcipue in anima oriri, cū in nobis carnales effectus & studia cessarūt. Quādiu enim carnis affectus & terrenorum amor in nobis viget, spiritus ad ecclesiā assurgere minus pōt. Sic etiam cum moritur Rachel, nascitur Benjamin. Ille videlicet de quo scriptū est, Benjamin amantissimus Domini, habitabit cōfidenter in eo, & inter humeros illius requiescet.

Nemo repente fit summus: ideoque nemo discrucietur, cum prauas adhuc malorum radices abscindere nō potest, modo illis nō succūbat: q̄ res frequēter ita pios homines angit, vt cū Apostolo clamare cōpellātur, Infelix ego homo: quis me liberabit d. c. m. h? Ita que consolatur quodammodo nos Spiritus S̄ctus (vt quidam ex sanctis patribus interpretatur) qui hoc in veteri lege sanxit, ne in eadē die mater cū filijs immolaretur. Quæ quidem lex, quāuis ad pietatē & misericordiam homines assuefaciat, tamen hoc etiā designat, fieri & cōmuni lege nō posse, vt eodē tēpore & cupiditatē (q̄ delictorū omnium mater est) & delicta omnia simul vites. Vnde leprosi iā mundati, pili abradi, nō euelli radicitus iubentur: quoniam propagines malorū abscindi possunt, radices verō non itē. Quāobrem iure reprehenduntur, qui quauis priorum hominū offensione, aut cuiusuis affectus intemperantia

grauiter

grauiter offenduntur, cum fieri nō possit, vt omnis prorsus cupiditas cū tota propagine filiorū repente euellatur. Non. n. anno vno sed paulatim cōsequētibz annis Dñs prætia Cananæorū germina ex terra filijs Israel promissa deleuit, ne videlicet bestię aduersus eos crescerēt. Crescerēt. n. mala superbiz & inanis glorię germina, si nullo intra se hostes homo experiretur: qui illū infirmitatis suę quotidie admonerent. Dent. 7.

Nemo animum despondeat, aut immodico se mœrore contrahat, cum vehemētes cupiditatū motus intra se insurgere sentit, dum illis tamen ope Domini adiutus nō cōsentit, nec ob eas de via deducitur. Væce illæ quæ arcem Domini ē regione Philistinorum in terram Hebræorum deducebāt, in directum gradiebātur, nec de via paululum declinabant, quamuis vitulorum suorū desiderio saucię, mugitibus æra cōplerent. Nos igitur cursum nostrum, licet caro submurmuret & frendeat, constanter & fortiter teneamus. Quisquis enim sic graditur, Deum intra se ductorem sequitur. 1. Reg. 6.

Inter amorē sui & propriam volūtatē, nihil est discriminis: nisi quod propria voluntas apertius quædam cōprehendit, quæ non tam apertē amoris proprii nomine significatur. Amor. n. sui opes, honores, & voluptates præcipuē concupiscit. Hæc autem ipsa & propria voluntas appetit, & præter hæc etiam immodico amore curiositatis disciplinarumque sæcularium, cæterarūque rerū similiū cupiditate feruet: quarum immoderato amore à rerū diuinarū studio reuocatur. Propter hoc cū ad tribunal Christi vapulauit Hieronymus, quoniam &c. ¶ Vide gradus malitię proprię voluntatis. Primo enim subtrahit semetipsam dominatui authoris sui, dū se ipsam cōtra eius imperiū statuere vult. Sed addit adhuc, quod quantū in ipsa est. Deum tollit volūtas propria. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare nō posse, aut nolle, aut nescire. Quid autē est hoc, quā velle Deū non esse? Crudelis planē & execranda malitia, quæ Dei potentiam, iusticiam, sapientiam euertere vult. Hæc est crudelis bestia, fera, pessima, rapacissima lupa, & Læna sœuissima.

Multi cū ad bonorū operū studiū ab alijs excitantur, respōdere solent, Pauper sum, nō habeo vnde alijs benefacere valeā. His respōdendum est, maximam Christianę vitę partē nō minores

in non faciendo, quam in faciendo positā esse. Gohibere nāquē omnes affectus, & cupiditates suas, & sub iugum mittere (hoc est non obsequi illis, neque facere quā à nobis importuno impetu flagitant) linguā quoque licentiam, atq; oculorum siue curiositatem, siue lasciuia comprime, vt non quodeūq; videm⁹. cōcupiscamus, maxima Christi ianā philosophiā portio est. His enim gradibus ad charitatis fastigium (in quo Christianā vitā summa posita est) peruenitur. Charitas autem per se adeo difficilis non est, vt omni gaudio & suauitate refertissima sit: ascensus tñ ad charitatem, qui est, immodicum sui amorē ab anima pellere, hoc vere difficile est quoniā hic affectus adeo visceribus nostris infixus est, vt quemadmodum homo quidā spiritu Dei plenus dixit, Si fieri, posset, vt in torculari aliquo totus homo expressus, hunc à se amorem excutere vellet, ex omnib. eius neruis, venis, ossib⁹, & medullis, vix quidquam aliud, quā hic sui amor exprimeretur, qui tamen cum immodicus est, malorū omniū seminarium existit. Vnde fit, vt cum maximē gloriosum sit immoderatos animā motus subegisse, gloriosissima inter omnes victoria sit, hunc amorem superasse, qui inter oēs animā motus potentissimus est, vt pote à quo omnes alij oriuntur.

Tonfores, barbā pilos primum calida aqua molliunt: deinde nouacula facile abscindunt. Ad hunc modum vir pius calore deuotionis mentem emollire debet, ea verò emollita, mortificationis nouacula noxios ab anima sua affectus & cupiditates facile abscinder.

Qui cum orationis studio diligenter insistant, mortificationis tamen laborem detrectant, ad quam spiritualia exercitia ordinātur, Theologis quibusdā similes sunt, qui cū omnes liberales artes didicerint, quo se ipsos ad sacratū literarū studra idoneos reddāti via tñ remorati, & quō tendebāt oblitī, vix eas attingūt.

3. Reg. 18

Diuinā gratiā admiranda virtus & potentia appositissimē in Eliā sacrificio adumbrata est. cecidit nāq; ignis Dñi, & vorauit holocaustū, & ligna, & lapides, puluerē quoq; & aquā quā erat in aquā ductu, lambens. Per hoc autē carnis cupiditatūq; nostrarum mortificatio designatur: qđ quidem maximum esse fidei nostrā argumentum, declarat in qđ protin⁹ subditur. Quod cum vidisset populus, cecidit in faciē suā, & ait, Dñs ipse est De⁹, Dñs ipse

ipse

ipse est Deus. Quisquis igitur hoc diuini spiritus igne cupiditates suas absumpsit, magnum intra se fidei sue argumentū habet.

Rachel enixum filium appellauit Benoni, id est, filium doloris mei, Pater vero appellauit Benjamin, id est dexterę filium. Quę ergo caro filium doloris appellat, hunc spiritus dexterę filium nominat: id enim maximę arduum est, idque spiritum potissimum commendat, quod caro cum dolore parit.

Fecit nos Dominus Iesus reges & sacerdotes, quia & gratiā ad orandum, & vim ad regendos moderandosque affectus per spiritum suum contulit: in quibus penę tota christiana philosophia sita est. Propter quod sancti patres tantopere nobis orationis & mortificationis studium commendant. Illud em̃ ad sacerdotis, hoc ad regis officium ptinet. Hęc autem duo nobis thus & myrrha designant: quorum frequens in Canticis mentio fit,

Libertas, Seruitus.

Ignorat mens gratiam libertatis, quam ligat seruitus timoris. *Greg. in Past.*

Quia homo iniquam suggestionem antiqui hostis libenter suscepit, violenter se postmodum eius tentationibus deuictus tradit. Vnde in paradyso blande ei loquitur statim, at nunc etiā renitentem trahit, & delectationibus deuictum penę interficit. *Greg. in Mor. lib. 15, cap. 8.*

Petra. j. Christus fundebat riuos olei: Rursum Isai. Computre- *Esa. 10* scet iugum à facie olei: nempe quia dum à Spiritu sancti gratia vngimur, à captiuitatis nostrę iugo liberamur. *Greg. 20. Mor. capit. 13.*

Ioseph cum esset captiuus contra dominantem nequitiam, etiam seruus fuit liber. *Greg. Mor. 27.*

Greg. super illo. Quis dimisit onagram liberum? & vincula ei? Job. 39. quis soluit? cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis, sic ait. Quis dimisit onagram liberum, subaudit, nisi ego: Onager q̃ in solitudine commoratur, non incongrue vi tam eorum significat, qui remoti à turbis secularibus cōuersantur. Qui apte etiā liber dicitur, q̃a magna est seruitus secularium negotiorum, quibus mens atteritur vehementer, quamuis in eis sponte